

exactae aetatis terminos per silentium venimus? non tamen 3  
pigebit vel incondita ac rudi voce memoriam prioris servi-  
tutis ac testimonium praesentium bonorum composuisse.  
hic interim liber honori Agricolae socii mei destinatus,  
5 professione pietatis aut laudatus erit aut excusatus.

Gnaeus Iulius Agricola, vetere et inlustri Foroiuliensium 4  
colonia ortus, utrumque avum procuratorem Caesarum  
habuit, quae equestris nobilitas est. pater illi Iulius Grae-  
cinus senatorii ordinis, studio eloquentiae sapientiaeque  
10 notus, iisque ipsis virtutibus iram Gai Caesaris meritus:  
namque Marcum Silanum accusare iussus et, quia abnuerat,  
interfectus est. mater Iulia Procilla fuit, rarae castitatis. in 2  
huius sinu indulgentiaque educatus per omnem honestarum  
artium cultum pueritiam adulescentiamque transegit. arce- 3  
15 bat eum ab inlecebris peccantium praeter ipsius bonam inte-  
gramque naturam, quod statim parvulus sedem ac magistrum  
studiorum Massiliam habuit, locum Graeca comitate et pro-  
vinciali parsimonia mixtum ac bene compositum. memoria 4  
teneo solitum ipsum narrare se prima in iuventa studium  
20 philosophiae acrius, ultra quam concessum Romano ac  
senatori, hausisse, ni prudentia matris incensum ac fla-  
grantem animum coërcuisset. scilicet sublime et erectum 5  
ingenium pulchritudinem ac speciem magnae excelsaeque  
gloriae vehementius quam caute adpetebat. mox mitigavit  
25 ratio et aetas, retinuitque, quod est difficillimum, ex sapientia  
modum.

Prima castrorum rudimenta in Britannia Suetonio Paulino, 5  
diligenti ac moderato duci, adprobavit, electus quem contu-  
bernio aestimaret. nec Agricola licenter, more iuvenum 2